



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**


**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Lib. XL. Pileus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

Sex dæmo-  
num gene-  
ra.

Scalenus autem dæmonum, & malarum potestatum figura dicitur, usque adeo inæqualis est, & à bono æquo remotus. Componitur autem ex senario numero, sed imperfecto, qui corporeis, & mundi hujus inferioris rebus obnoxius est, quod in eo circumscriptiones corporeæ sitæ sunt, per eumque mundus hic inferior compositus esse imperito eo seculo putabatur. Ideoque ajunt sex genera dæmonum infra lunarum globum inveniri, quorum primum per sublimiorem aëra vagari tradunt, *LELIURON* appellatum, quasi velint igneum significare. Secundum aëreum, quod in crassiori nebulosaque regione sedem habeat. Tertium terrenum. Quartum aquatile vel marinum, à locis & regionibus in quibus oberrant, quarum curam gerunt. Quintum vero subterraneum, quod vel noctu, vel in puteis, & antris, & hujusmodi locis frequenter apparet, ne antrum Nursiæ fabulosum esse credamus, aut quem Divi Patricii puteum in Hybernia memorant. Nam & cumis & aliis plerisque locis responsa in antris dari solita, totius aëritatis testimonio persuasum est. Sextum & ultimum est lucifugum, imperscrutabile ac tenebrososum penitus, algorique perpetuo damnatum. Id vero dæmonum genus modis omnibus mortales infestare creditur, Stygiosq; latices haustos spargere, unde calamitates, pestes & fames consequantur. Adduntque hujusmodi rerum periti nomina, *Actæum*, *Megalesium*, *Ormenon*, *Lycum*, *Niconam*, *Mimona*, *Alastoras* alios, alios *Palamnæos* appellatos, à quibus omnia in homines incommoda congerantur. Sed hæc fortè plus nimio homini sublimium rerum cupidissimo, cum præterita futura sint omnia quæ de dæmonibus loco hoc afferre voluerimus. Multiplices tamen eorum figuras & apparitiones, variis rerum & animalium imaginibus conspicuas, toto opere, ubi hieroglyphicum tale aliquid deponat minime dissimulavimus.



## JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIBER XL.

DE IIS QUÆ PER VESTES ALIQUOT  
SIGNIFICANTUR,

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD JANUM VITALEM PA-  
NORMITANUM.

**N**on parva quidem de causa, Jane mi jucundissime, Leo X. Pont. Max. quam primum tuam de Trinitate poemata legit, ingenio & eruditione tua delectatus, pietateque in primis commotus, præclaram tibi munera dari jussit, in quibus fuit & Palatina vestis ornata, ut inter amicos abmissum esse te, virtutis & optimarum artium ergo, omnibus innotesceret, tuque ad disceptationum studia in dies magis incitaretur. Quæ mihi tam jucunda acciderant, ac si omnia & in longè majorem in me collata essent, qui tot annos amorem erga me tuum habuerim exploratissimum, quæque ego semper ob summum ingenium, suavissimos mores, singularem animi tui integritatem, præteris loco dilexerim. Itaque cum ex remuneratione hujusmodi, quæ tibi obvigisset, magnam ego gratiam concepissem, incensus ego quoque sum tanti Principis æmulatione, ut ipse quoque gratio erigere

**A** animo esse, pro voluptate ea, qua me tuo de commodo, addam etiam honore, affectum sentio. Qualescumque igitur essent opes meae, ex iis aliquid ad te mittere decrevi. Atque ubi horrea aperuissem, vestes aliquot hinc tibi deprompsi, non eas quidem Luculliano sumptu magnificentiaque comparatas, neque Milesi textas, neque, ut Pontificia illa vestes erant, Tyria purpura saturatas, sed quales ex Aegypto me attulisse non ignoras, in quibus scilicet mira conficitur parsimonia. Sunt enim vestes labore omnino curaque aliqua contexta, sed materia admodum parca, junco quippe omnes papyraceo, ut facile contemni possint ab iis qui nostri temporis luxum deliciaeque consecantur, quibus nil facere videtur ad cultum, nisi quod carissime vixerit. Utrumque tamen, habende tibi sunt qualesquales fuerint: quas si foris in conspectu uti verecundabere, certe, qua tua est modestio, domi tibi usui esse poterunt. Non enim paro te ita repente superbum evasisse, ut quamvis Pontificia in purpura tibi merito placeas, si quid immen manibus meis elaboratum acceperis, id sis aspernaturus. Sed jam quid hoc sit supelletilis, explicemus.

**DE PILEO. CAP. I.**

**Q**uemadmodum in unaquaque re nihil est capite prius, ita vestium aliquot significationes dicendi, a pileo, quod praecipuum est capitis integumentum convenienter incipimus.

**NOBILITAS. CAP. II.**

**N**imirum vero is apud Graecos nobilitatis indicium fuit, hique ea de causa Ulyssis caput pileatum fieri solitum. autumant, quod magna scilicet ab utroque parente nobilitas illi obtigisset. Nam apud Ovidium eam ita in Ajacem oggerit:



Hinc forsitan mos ut qui Magistri deoresq; titulo honorantur pileum accipiunt.

Memia l. 12

**C** Nam genus & proavos, & quae non fecimus ipsi,  
Vix ea nostra voco: sed enim quia retulit Ajax,  
Esse Jovis pronepos, nostri quoque sanguinis auctor  
Jupiter est, totidemq; gradus distamus ab illo.  
Nam mihi Laertes pater est, Acrisius illi,  
Jupiter huic neq; in his quisquam damnatus & exul.  
Est quoq; per matrem Cyllenius addita nobis  
Altera nobilitas: Deus est in utroq; parente.

Quod vero Castrorum quoque capita pileata pingerentur, nil aliud sibi velle tradunt, nisi ut indicio esset, eos fuisse Lacones. Hos vero pileatos pugnare mox fuit, quo indomitum animum adversus barbaros Reges & tyrannos significatione libertatis ostentarent. Quique aliquot ab hinc annis Venetiarum Reges & tyrannos significatione libertatis ostentarent. Quique aliquot ab hinc annis Venetiarum Reges & tyrannos significatione libertatis ostentarent.

Mos pugnandi Lacorum. Nam pileus libertatis symbolum, & ad pileum vocare, id est, ad libertatem.



Tib. Claudii, Antonini, Caracallae numi.

**LIBERTAS. CAP. III.**

**P**assim enim in numis videas pileum ipsum cum inscriptione LIBERTATIS, ut in numo TIB. CLAUDII, in quo simulacrum est dextera pileum gestans, levam expansam habens, cujus inscriptio est, LIBERTAS AUGUSTA. In Antonini item numo pileus a manu dextera pendet, levam hastam tenet, inscriptio, LIBERTAS COS. IIII. Sed in Caracalla numo libertas ipsa praeter virgam, & pileum, stellam etiam habet ante sitam. Aliter libertatis argumentum figurabant per sigilla quatuor,

Rrr

expe-

expeditis pedibus gradientia, quorum secundum & quartum fasces & securès alligatas gestarent, A cum inscriptione, BRURUS. Unde apud Virgilium legas,

*En. lib. 6.*

— *Animamque superbam*

*Ultoris Bruti fascesq; videre receptos.*

Ab altera parte scemineum caput est, cum inscriptione, LIBERTAS. Sed hoc nimirum in historia memoriam, quod ex actis Regibus, partaque libertate, Consularis magistratus annuus auctore præcipue Bruto sit constitutus.

#### LIBERATORES PATRIÆ. CAP. IV.

*Dion. l. 47.*

Quod vero in alterius Bruti numismatis cernere est pugiones duos adjecto pileo, Dion ex hoc Brutum & Cassium patriæ liberatores indicari dicit. Nam pugio eadem patratam omnino significat, pileus vero libertatem. In numo quodam argenteo venerandæ antiquitatis observavi sceminea capita ab utroque latere singula, simplici quodam modo capillos collecta, in quo nihil aliud scriptum quam LIBERTAS. In numo Ser. Galbæ simulacrum est cum jaculo & pileo, cuius inscriptio est, LIBERTAS PUBLICA. Eadem in Nervæ numis aliquot habentur. Apud historicos legas servos nonnumquam ad pileum vocatos, ut apud Livium xxiii. *Postero die servi ad pileum, vocati, hoc est, promissa concessa servis libertas.*

*Ser. Galba*

*& Nervæ*

*numi.*

*Servi ad pi-*

*leum vocati.*

*Et apud*

*Suetonium*

*in Tiberio.*

*Hæc ab A.*

*Gellio lib. 7.*

*4.*

#### SERVILIS IMPROBITAS. CAP. V.

Secus vero intelligendum de servo pileato. Nam cum imposito pileo venundabantur, nequam & improbum esse servum innuebant: significabat enim venditorem dominum nihil super eo polliceri velle, quod postmodum ad præstandum cogi posse, evoluebatque ita se ab omni vinculo, quod posset ad redhibitionem trahere, de quo vide apud Cælium Sabinum, & alios.

#### THEODOSIANI. CAP. VI.

Spestandum etiam erat trium ordinum Theodosianorum insigne, sub militum Præfentiali merentium, qui dimidium quique simulacrum humanum in clypeo gestabant, idque manibus ab utraque parte porrectis, quorum dextera vinculum, sinistra pileum prætendebat: quasi vellent innuere, contumacibus se vincula injecturos, obsequiosis libertatem donaturos. Sedenim de primis in Vulpis commentario diximus.

#### SECUNDI THEODOSIANI. CAP. VII.

In eodem Canone, quæ apud insignes Massæos Romæ vidi, gestamen erat, luteus taurus ad viridantis monticuli radices pictus, in summo vero collis vertice dimidius Æthiops de exera manulorum, lava pileum prætendebat, passis hinc & inde manibus: id ipsi quoque indicantes, in sua esse manu captivos facere, & libertatem indulgere. Gestabant insigne hoc secundi Theodosiani. Ipsa vero palma facies hyacinthina, quasi cæli colorem præ se ferebat.

#### TERTII THEODOSIANI. CAP. VIII.

*Al. Scipionæ*

*L. Terentio*

*& T. Quin-*

*tilii Romani*

*liberati. T.*

*Livius lib. 4.*

*de bello*

*Macedo-*

*nico.*

Erant & tertii ejusdem nominis, ejusdemque ductoris, quorum parma in hunc modum facta præferebatur. Margo hyacinthini coloris circulo aliquantulum lato circumductus, sub quo alter contiguus angustioris spatii: inde facies media rubra, ab ima cujus parte albus erigebatur cippus in angustum supernæ definens, qui Lunæ speciem, cornibus sursum versis sustentabat. In medio parma insidebat Lunæ albus identidem circulus, cujus centrum late fufam nigri coloris erat. Supra circulum eadem dextera loro, sinistra pileo munitis. Illud addam, eos Imperatoris triumphantis currum pileatos sequi solitos, qui fuerant è servitute manumissi.

#### TRIPLEX LIBERTAS. CAP. IX.

Nimadvertendus apud Aufonium locus, eo versu,

*Triplex libertas, capitis minutio triplex e*

quod

**Q**uod nonnulli legendum arbitrantur, *Capitis munitio triplex*, pro tribus pilei speciebus, vel triplici eorum conditione, qui pileum assequerentur. Sedenim minutio, inferius ostendemus, longe castior est lectio. Quod vero attinet ad libertates, tres manu mittendi rationes erant. Prima, qua majorem & justam libertatem consequerentur, ita ut etiam cives Romani fierent. Altera, qua Latini fierent, ex lege Julia Norbana-Postrema, qua in ordinem deditiorum ex lege Ælia-Santia adscribebantur. Tres has manumittendi species tangit Boëtius primo Topicorum commentario. Apud Tacitum duas tantum institutas reperias. Quas vero Boëtius enumerat, sunt, census, vindicta, testamentum, de quibus apud Jurisconsultos copiosius, de his Plautus, Cassina: *Tribus, inquit, conduci non possum libertatibus, quin ego hodie illis comparem magnum malum.*

## FLAMINES. CAP. X.

**S**ane pileus apud Romanos Sacerdotii symbolum semper fuit. Nam Flamines à Numa constituti, quasi pileamines dicti, quamvis nonnulli arbitretur à Flammeo, quod est capitis tegumentum, appellatos. Nam & infulæ, & mitra, & amictus alii atq; alii sacrificulis attributi: sedenim ut in Sacerdotio pileum præstare fateamur, Fabii Pictoris autoritas facit, qui Flaminem ait non posse esse sub dño sine pileo, sub tecto autem, ut libebat: quem quidem morem in sacerdotio etiam nostro servari nemo non videt. Domo enim provehi præfulem sine pileo, nefas habetur.

## HIPPOCRATES. CAP. XI.

**A**nte alias autem antiquorum statuas Hippocratis imago pileata celebratur, eoq; habitu multis locis erecta. Ex eo nonnulli hieroglyphicè interpretati sunt partem eam custodiendam, in qua tanquam in domicilio, princeps animus resideret, totaq; intelligendi vis collata esset. Alii ex Græcis solam hominis nobilitatem inde intelligi volunt: utpote qui cognationem ab Appolline & ab Hercule traheret. Nam eum ab Æsculapio oriundum senatus Atheniensis testatus est publicis etiam monumentis. Id vero si ad libertatem referamus, cui potius Liberatoris nomen accommodare debeamus, quam illi, qui tot mortalium corpora morbis tot obnoxia liberavit, & bonæ restituit valetudinis, sitque humanæ incolumitatis auctor appellandus, si merito tum titulo honestare voluerimus? Non desuere tamen qui rem maligne admodum interpretarentur, & quod illi honoris causa datum erat, modo calvitium, modo imbecillitatem capitis, modo quid iis inanius tradiderint inde significari. Quod quidem de Pericle memoriæ proditum est, qui ea de causa pileo uti consueverit, quia capite esset supra modum acutiore, unde ab æmulis *κορωνέοι* appellabatur. Hinc etiam, ut alibi diximus, statua ejus cum casside posita. Formam tamen hanc, quæ dedecori nonnullis adscribitur, *Genuesis obstetricis* nuenfes honorificam, & adeo ingenuam ducunt, ut obstetrices statim nato puero nihil diligentius curent, quam infantuli caput tenerum, palmis digitorum complexu complicatis, adstrictum producere, & fasciis colligatum, donec solidius fiat, conservare.

## FORMA PILEI. CAP. XII.

**A**ntiqua vero forma pilei est, quam Lucianus in Dipside describit, dimidium quippe corticis alicujus ovi. Nam apud Garamantas ex struthiorum ovis singulis in æquas partes dissectis, D bini sunt pilei. Tanta ibi est ejus ovi magnitudo, eoque capitis tegumento populi illi sibi plurimum applaudunt. Eo porro pilei figura est in numo, quem Imp. Gordianus Pius Fel. Aug. cussit, cum signo ab altera parte, cujus læva hasta toto cubito surrecto innititur, dextera pileum ea qua dictum est forma prætendit, inscriptio, *LIBERTAS AUG.* Non negarim tamen in aliquot monumentis, ubi signa majora sunt, extremum pilei marginem paululum sursum versus inflecti, ut in statu aliis observavimus, præsertim Mercurii. Sed & numismata pleraque eam pene speciem ostendunt. Variatum autem apud has & illas nationes, ut alii marginem dilatarint, tam pluvius amolendis, quam sereno umbris captandis: alii cavam partem præferint, alii alte sustulerint, eamq; acuminatam, alii produserint, alii planam esse maluerint. Neq; tamen nefcius sum pilea apud Romanos ex lacernis cæsis consui solita, quod & apud Papinium & Martialem habetur, quem morem longo antiquatum tempore, nostra ætas *revoca*

revocavit, pileamq; elegantissima ex confutis panni frustulis quatuor, tam ad ornatum capitis, quam etiam ad umbellæ usum fecit, non ea tamen ovi singula dimidii speciem referentia, sed quatuor veluti costis ad quatuor instar mundi cardinum assurgentibus divisa, ita tamen ut quarta desideat in plicam, quasi polum describat, quem

Geor. lib. 1.

Sub pedibus Styx atm videt maneque profundi:

argumento, nos cœli semper memores esse debere, cujus figura quadam capita contegamus. Sacerdotes vero hoc plurimum utuntur capitis tegumento.

DE INDUMENTIS. CAP. XIII.

Quantum vero ad reliqua pertinet indumenta, cum multi materiam eam pertractarint, nobis non est consilium singula recensere, sed pauca admodum quæ vel remotiora vel ab aliis diversa videbuntur, & aliquid sapiant hieroglyphicum.

ROMANUS. CAP. XIV.

Misam itaque faciemus togam, cujus figuram Quintilianus fati explicavit, cum nulli non innotuerit per eam ita Romanum civem indicari, quemadmodum per pallium Græcum hominem. Unde Latine Comœdiæ, in quas scilicet Latine personæ inducuntur, Togata vocantur, Palliata vero, quæ per Græcas personas aguntur. Sed hoc Virgilius explicavit, cum dixit:

Togata & Palliata. Comœdiæ. Æneid. l. 1.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

CIVILIS. CAP. XV.

At eum quidem Romanum per togam intelligebant, qui civilia negotia tractaret, sive, ut dicitur Horatius, civilibus undis mergeretur. Unde Martialis: Toga raris, mens quiescit. Nam Marcellus vestimentum eam esse tradit, quo amicimur in foro negotiaturi. Cæterum toga non solum viri, sed etiam femine utebantur. Varro de vita populi Romani, ut apud eundem citatur, de togis loquens: Ante enim olim fuit commune vestimentum & diurnum, & nocturnum & muliebre, & virile. Hinc apud Propertium legas:

Tertulliani aditum memorandum.

Sive togis illam fulgentem incedere Cois.

Tertullianus cum notaretur, quod indumenta Romana fastidiret, pallioque potius vir tantus uteretur homo minime ambitiosus, causam tuetur suam, evitareque se eo habitu & imperiosam & incommodum respondet, cum toga vestis sit admodum onerosa. ait enim: Conscisciam denique tuam perrogabo, quid te prius in toga sentias, indutum, ane onustum? habere vestem, an bajulare?

PAX. CAP. XVI.

In toga, dignitatis principatus est datus. Cic. i. offic. Per togam & sagum hominum distinctione. Hinc Cicero in Philippicis ad sagam ire pro ad arma procurrere. 6. 7. 8. & 13. hinc sagati, i. e. armati.

Quoniam vero ea quæ domi fieret Reipublicæ administratio, vel civilis vitæ negotiatio, longe diversa videtur à bellicis negotiis; inde factum ut pro pace nonnumquam toga acciperetur, quippe cum de ea vitæ ratione dicatur, quæ pertinet ad forensia.

BELLUM. CAP. XVII.

In toga, dignitatis principatus est datus. Cic. i. offic. Per togam & sagum hominum distinctione. Hinc Cicero in Philippicis ad sagam ire pro ad arma procurrere. 6. 7. 8. & 13. hinc sagati, i. e. armati.

Sed sagum cum militare omnino sit indumentum, cujus scilicet usus expeditorem ad itinera & negotia hominem reddit, pro bello poni solitum. In arma togæ apponuntur, de quo celebre illud Ciceronis dictum Cedant arma toga. Nam ad hunc usque diem nationes pleræque, præsertim Galli, viros militiæ deditos brevis indumenti vocabulo designant, cum Sacerdotes, legum professores, & negotiis civilibus deditos, longæ vestis nuncupatione describant, ita duplex hominum genus distinguunt, quemadmodum veteres per togam & sagum varia hominum studia significabant. Facit ad hoc Tullianum illud ad Cæsarem juniorem lib. Epistolæ. 1. Præd. Nonas Feb. cum ad se literas manu distem, descendi ad forum rogatus, cum reliqui consulares sagati vellent descendere. In Canone autem illo, ut hoc x̄π̄ π̄αῑε̄ργ̄ον, non importunè tamen inferamus, qui apud Maffæos Romæ habetur, de Militum Roma.

A Romanorum ordinibus, nuncupationibus, vexillis, & gestaminibus, ad Theodosium & Valentianum inscripto, lata de Thoracomacho indumento laneo Lybicis pellibus cooperto mentio est. Sed *Encl. l. 7.* usitatissimus semper fuit corii usus in militaribus tegumentis. Hinc apud Maronem nonnulli,

*Lupi de pelle galeros  
Tegmen habent capiti, vestigia nuda sinistri  
Instituere pedis, erudus tegit altera pero.*

BLEBECULA. XVIII

Tunica autem, plebeculae signum erat, eaque etiam servi utebantur. Vulgatissimum enim est, *Vulgu imperitū & tunicaus populus tran-* Tunica alique[m] ex Romana plebe significari. Unde Horatius, epist. lib. i. epist. 7. *suus vocat. Corn. Tac. in lib. de O-*

Quae vero esset tunicae species, Nonius explicavit, cum sine manicis eam esse dixit, & plurimum talaris rem sine manicis esse ostendit, indumentum aptum ad opera facienda, eaque gens otii propemodum *in lib. de O-* nescia erat. Hinc Virgilius vulgo gratulaturus, manicatos irridet, utpote minus idoneos qui bella *in lib. de O-* negotiave, aut artes ullas tractent. Numanum enim Latinum hominem sui generis strenuitatem ja- *in lib. de O-* ciantem, & imbelliam Phrygibus obiectantem, ita loquentem inducit: *Encl. l. 7.*  
*Et tunica manicas, & habent redimicula mitra.*

ILITHYIA. CAP. XIX.

Sed ut antiquiora repetamus, Atheniensium institutum fuisse Paufanias tradit, ut Ilithyiae simula- *Hypodytis Pontificis indumen-* cra ad imos usque pedes contegerentur. In Divinis vero literis tum tunica, tum color ejus hiero- *stum.* glyphice consideratur. Pontifex enim praeter interiorem tunicam, quae sit ex lino, materia quippe ter- *Hypodytis Pontificis indumen-* restri, Podere etiam vel hypodyti dicamus hyacinthino induebatur. Coelestis enim color, dubio *stum.* procul est hyacinthinus, monumentoque est coelestia demum meditanda, coelestia tractando, coelestia *Hypodytis Pontificis indumen-* discutienda, totamque mentis agitationem circa ea, quae caeli sunt exercendam. Sunt vero interpretes, nimi- *stum.* qui non Hypodytin, sed Epanytin edidere, quod indumentum signat quod superinducitur, nimirum enim hypodytis interior est tunica, quae primam nostram indicabat generationem, ut apud *Hypodytis Pontificis indumen-* Hierosolymitanum Hefychium. Alii exponunt, quia hominem ostendunt interiorem: alii tunicam *stum.* hujusmodi justitiam interpretantur.

DE PODERE. CAP. XX.

Est autem poderes, ut Eucherius, sacerdotalis vestis linea, corpori penitus adstricta, eademque *Exod. t. 28* talaris, *דודו* vel *דודון* appellata *דודנהס*, quae & subucula dicitur. Per hanc igitur, quippe quae vestimentis aliis subiciebatur, doctrinam sacrationem intelligi veteres Theologi tradiderunt. Exodo: *Et fecerunt vestimentum poderum sub umbone, opus textile, totum hyacinthium.*

PUDICITIA. CAP. XXI.

Quod vero in numis & monumentis aliis antiquis velata nonnumquam facies observantur cum *Sabine A-* inscriptione PUDICITIAE, non tam ob flammeum, quo novae nuptae faciem obnubere solita sunt, *driani Aug.* cum ad virum traducerentur, unde illis nuptarum nomen, quam ob historiam institutum credide- *numi.* rim, ut ita fieret. Ab Icario enim Penelopes patre simulacrum ejusmodi dedicatum Pudori ferunt, *Pudicitia* Graecique historiam super hac re hujusmodi conscribere. Cum Icarus ab Ulyse frustra contendisset, ut Lacedaemone habitare mallet, id demum filiae persuadere conatus est, cumque acrius instaret, *Pudicitia* ne se desereret, Ulyses iussit ut ea sponte sequeretur, aut cum patre, si gravaretur, Lacedaemona rediret: Penelope obtecta facie, nihil quicquam respondebat, quare pater intellecta filiae sententia, eam dimisit, & in facti monumentum, eo loco pudoris simulacrum erexit, quod in Laconia spectaba- *Pudicitia* tur. In numo, cujus inscriptio est, SABINA AUGUSTA HADRIANI AUG. ab altera parte dea sedens *Pudicitia* velo faciem cooperta, digito dexterae indice ad jugulum admoto conspicitur, cujus inscriptio est, *Pudicitia* PUDICITIA. In alio Herenniae muliebri sigillum sedens cum conto in lavam ulnam jacente, dexte- *Pudicitia* ra velum ante faciem obducit, inscriptio est, PUDICITIA AUG. In eo quoque, cujus literae ab una *Pudicitia* parte sunt, MARCIA OTACIL. SEVERA AUG. ab altera sigillum est, quod velum in faciem *Pudicitia* praeten-

pretendit, cum simili inscriptione, PUDICITIA AUG. In altero ejusdem Otacillæ cum eadem inscriptione & specie, quæ velum eodem modo pretendit. læva radium tenet, sed nomen ita scriptum est, MARTIA OTACIL. SEVERA AUG. cum in altero MARCIA per c litteram in ordine quartam, habeatur, quod quidem ostendit, eo quoque tempore eandem fuisse pronuntiationem litteræ, quæ nunc est, cum post r vocalis altera subsequitur. Quamvis etate nostra fuerint publici non potissimi nominis professores. Sed enim puto ego variatum in numis, quia alii Marcia nomen à Marro, pervicaciter abhorruerint. Sed enim puto ego variatum in numis, quia alii Marcia nomen à Marro, alii à Marte deductum existimarint. Sed ut ad Flammeum redeamus, quo nova nupta olim cooperta ducebatur ad virum, crocei coloris id plurimum fuisse comperio, ut apud Maronem, Cyri:

Flammeum  
noße nupti-  
rum.

Æneid. l. 1.  
Ibidem.

Ut tibi Corycio glomerarem flammea luto.

Idem alibi pro maximo negotio habet, venerabile matronalis ornatus donum celebrare:

Circumtextum (quippe) croceo velamen acantho,  
Ornatus Argiva Helena, quos illa Lycenis  
Pergama cum peteret, inconcessosque hymenæos  
Extulerat, matris Leda venemabile donum.

Neque satis semel hoc dixisse, sed paulo post mirari Tyrius ait:

Pallamque & pictum croceo velamen acantho.

Sed & cui-  
sus cœsus  
atq; magni-  
ficum addit  
hominibus  
auctorita-  
tem.

Euchius l. 8.  
Instit. orat.

Hoc illud est quod Cyprianus ait, continentiam & pudicitiam non in sola carnis integritate consistere, sed etiam in cultus & ornatus honore, pariter & pudore. Sollicitus admodum in hac re Tertullianus mihi videtur, qui non solum velamen hujusmodi *Armatum pudoris* vocat, *versu candida illum feminae* *xus feminei murum, qui nec suos emittat oculos, nec admittat alienos*, verum etiam modum pudicitibus ad quem velaminis istius forma produci debeat: *Quantum, inquit, re soluti crimes occupare possunt, tanta est velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur. Ipsæ enim sunt quas subiectas esse oportet, propter quas potestas supra caput haberi debet. Velamen jugum illarum est. Denique, bonum esse, ait, ut mulier usque ad lumbos à capite veletur. Judicabunt nos, addit, Ambia feminae & ibnica, quæ non caput, sed faciem quoque ita circumtegent, ut uno oculo liberato contra dimidiam frui lucem, quam totam faciem prospicere: magis enim famina videre quam videri. Nam & qui Flammeum describunt, vestem alii, tegmen alii esse dicunt, quo matronæ capita tegebant, dictumque volunt à Flaminica, quæ uxor Flaminis erat, boni ominis causa, quippe cui usque adeo injuncta erat pudicitia, ut uni illi divortium facere non liceret. Sanctissimumque præceptum est apud Christianos fœminis, ait Adamantius ex Paulo, ut cum orant, habeant velamen supra caput, propter Angelos, qui sanctis assistunt, & in Ecclesiis versari delectantur: quos quidem nos, qui fumus peccatorum sordibus inquinati, videre nequaquam possumus.*

#### ALBATÆ. CAP. XXII.

Alba vestes Ipsi vero colores etiam hieroglyphicum quid sapere videntur. Nam Flamen, ut Varro tradit, cum Iovi sacra ferebat, totus albus erat, & pileum etiam gestabat album. Magi sane in Perside dicebant, Deum ipsum non delectari nisi albis vestibus, quod ego ex Salomone desumptum crediderim, qui dum morum candorem, & animi puritatem persuadere intendit: *In omni tempore, inquit, candida sint vestimenta tua*, utpote qui ætatem nullam, officium nullum, nullum otium & negotium toto vitæ tempore sinceritate & innocentia vacui esse debere præcipiat: ita enim sacræ literæ vestimenta accipere consueverunt, ita veterem hominem exuere admonemur, ita qui nuptiali veste non ornata convivio nuptiali Regis discumbere ausus erat, ad crutiatum in vincula conjicitur.

Et si peccata vestra  
purpura in  
flar rubu-  
runt admo-  
dom nisis  
à albato.  
Esaia. c. 1.

#### VESTALES VIRGINES. CAP. XXIII.

Quæ vero suffibulo amictæ sacrificabant, virgines Vestales erant. Fuit vero suffibulum vestimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod illæ in capite sacrificantes habebant, idque sub iumento fibula comprehendi solebat, unde nomen. Eadem penè specie qua sufficulum erat, Romanæ matronæ nunc utuntur, cum domo exeunt, pudicitia simul & pietatis, quæ duo in illis egregie vigent, indicia & vera & manifesta.



LIBERTAS. CAP. XXIV.

**L**ibertos manumissione accepta, alba veste decorari solitos id ostendit, quod apud Tertullianum legitur de famulo libertate donato. Atqui & vestis albæ nitore, & aurei anuli honore, & patroni nomine ac tribu mensaque honoratur & alibi talia, ut adversus Marcionem lib. 5. *Et sacra tinctura candidatis mos fuit albam vestem induere*, de quibus eleganter Pontius Paulinus:

*Indo parens sacro ducit de fonte sacerdos  
Infantes niveos, corpore, corde, habitu.*

Neque minus luculenter Fortunatus:

*Candidus egreditur mihi exercitus undis Fulgentes avimus vestis quod candida signat,  
Atq; vetus vitium purgat in amne novo. Et grege de niveo gaudia pastor habet.*

Et quoniam per hebdomadam Paschatis una tingi plures consueverunt, ea de causa feria illa, quæ ad hoc omnes instituta sunt, & quæ subsequitur hebdomada. *In albis* adhuc appellatur. Erat vero signum quoddam manumissionis, de quo supra dictum.

MODESTIA. CAP. XXV.

**E**rat & modestiæ signum alba vestis, animiq; qui præsentibus æquus, nihil ulterius tentare videatur: uti purpura ambitionis, animique sublimis & vasti, amplitudinis, magistratusque summi. Sane cum apud Alexandrum quidam Antipatri parsimoniam atque modestiam commendaret: *Fortem prævis*, inquit Alexander, *albo utitur pallio, intus vero totus est purpureus*: fictam notans in homine ambitiosissimo, qui maxima quæque appeteret, parsimoniam.

*Hinc candidati cultus, tu integritatem præferebant in Magistratus petitione.*

LEGES, VETUS ET NOVA. CAP. XXVI.

**S**ed ut ad nostra redeamus, Cantorum cantico legitur, *Fratruelis meus albus & rubicundus*, quo loco Divinarum literarum interpretes, per colorem album Legem veterem intelligunt, per rubicundum prædicationem Evangelii, utrumque autem in Christo: ipsius est enim Lex, ipsius Evangelium. Sane ubi Levitico de cicatricibus agitur, *albam*, ajunt, *cicatricem* Legis transgressionem significare. Ita illi omnia hieroglyphice sunt intelligenda.

*Cant. c. 5.*

DE STOLA. CAP. XXVII.

**S**tola apud veteres invenias matrimonialis pudicitiae signum, de qua Tertullianus plura. *Ovidius* amoris & impudicitiae præcepta daturus, quo se tamen verecundum assimularet, ait:

*Esse procul vitæ tennes, in signe pudoris,  
Quæq; regis medios insita longa pedes.*

*Hinc Tibullus, Impeditur at crines nec stola longa tuos*

BAPTISMUS. CAP. XXVIII.

**E**vangelii vero locum, *Cito proferte stolam primam*, pro juvene perduto, qui redierat in viam, veteres aliquot Theologi accipiunt pro baptismo, ut apud Eucherium. Supra vero exeuntibus a baptismatis tinctura, vestem albam parari ostendimus.

*Lut. 15.*

DE ATRATIS.

SACERDOTES ÆGYPTII. CAP. XXIX.

**C**ontra vero nostrorum mores, sacerdotes Ægyptii, cum supplicabant, nigris utebantur vestibus, neque alias quam nigras vestes eum decere arbitrabantur, qui diis preces allegaret: quippe ut terram ipsam supplicare significarent, ex qua mortales conformati sumus. Ea vero apud ipsos nigra figurabatur.

CERES ET PALACRALIS FLAMEN. CAP. XXX.

**E**t Cereri nigra vestis apud Arcadas induebatur. Et Falacralis flamen nigro utebatur pileo: erat enim Plutonis: cui cum immolabant, vestibus utebantur nigris, quem colorem ajunt inferis diis

*Eriamnum civis hōdedica die.*

dedicatum. Et lugentium vestis maxime nigra erat, unde eas Varro Anthracinas vocat, quasi carbonarias velit dicere: ἀνθρακίς enim Græce, Latine carbones appellantur.

## ÆRUMNOSUS. CAP. XXXI.

Saccus seu  
saccus, quid  
Hebraeus.

Apud Hebræos luctus supremæque mœstitiæ indicium vestis erat faccus, & Saccium appellata, humilis illa quidem, abjectæ utilitatis, & informis, quæ quidem induta calamitatem, qua quis oppressus esset, indicabat, conscissa vero latitiam. Genesi, οὐρανὸς σακκίον ἐξ ἀλάμπης, & τὸν Ἰσραὴλ βαρεῖς ἐκατέλεθ, Jacob autem saccium indutus, magnitudineq, maroris humi oppressus affedit. Sunt qui cilicium interpretentur, Sed & Græci Sacci vocabulū usurpant. Itcumque, vestem huiusmodi induere consueverant, cum in arumnas, quæ omnem superarent consolationem, incidissent, qua deorum levati saccum discindebant. Unde Psalmo trigesimo quinto legas: Ego autem cum mihi molissi clypeus induerem sacco, & macerabam jejunio animam meam. Eodem autem significato color niger locrum, & quam Theologi nostri facti poenitentiam vocant, indicare plerisque locis manifestum. Nam atratus in luctu vestire, à rerum primordio ad hoc usque tempus unanimi omnium consensu factum. Tum illud Levitico celebratur, Si non capillus niger fuerit, quod exponunt: si nullum poenitentiae signum per lachrymas dederit, aut aliquem omnino mœrorem præ se tulerit.

## MAPPA. CAP. XXXII.

Mappa  
sua.

ET mappa veli genus, quod mensis insternimus, quoque abstergendis manibus utitur, hieroglyphicum suum adeptæ est, si quidem ea signum erat in ludis, quo Equi de carceribus excitati cursum arripiebant: mittebat enim Prætor eam cum signum daret, quod nunc clangore tubarum significatur, de quo apud Martialem habes:

*Cretatam Prætor cum vellet mittere mappam.*

Nero libertos suos id facere voluit, quod tanto apud veteres honori ducebatur. Nam apud Livium legas VIII. ab Urbe cond. L. Plautio Prætor gravi morbo detento, Dictatorem creatum fuisse, qui ludis Romanis signum daret quadrigis emittendis: qui eo ministerio functus, Dictatura se abdicavit. Hodie quoque, mi Jane, Romæ munus id ad ornatissimos viros defertur. Nam, ut non ignoro, C. Angelus Cæsius Advocatorum facile princeps, & Cardinalis pater, & nobilissimus vir Petrus Minus, tam eruditione, quam domestica celebritate insignis, duo s. p. q. Romani Cancellarii (is enim titulus apud omnes Europæ Principes inter honoratiorum hodie celebratur) inter alia præfectura tam præclaræ munera, cursorum in stadio emittendorum etiam negotio præficiuntur.

## PALUDAMENTUM. CAP. XXXIII.

Se ad  
libro  
res  
Libro.

TRIBUNUM, vel Præfectum, aut Præsidem aliquem ex habitu significare qui volebant, imaginem ejus paludamento insignem faciebant. Erat enim paludamentum vestis militaris, quo Duces, Tribuniq, & Præfecti ad id munus electi, cum in provinciam proficiscebantur, uti consueverunt, indeque Paludati dicebantur, quemadmodum milites præcincti. Paludamentum Nonius chlamydem mox appellatam dicit, sed id quoque antiquum nomen. Sedenim, omnia militaria ornamenta, paludamenta dicebantur. Unde Verrio libris auguralibus: Paludati, armati ornatique sunt.

## RUBICUNDA. CAP. XXXIV.

RUBICUNDA vestis, tunica vel pallium deprompta, pugnae acieive committendæ hieroglyphicum. Apud Romanos habebatur, de quo in Marcello, & in Pompejo, & in M. Bruto, Plutarchus.

## LÆNA. CAP. XXXV.

An. lib. 1.

ET lana vestimentum militare, quod supra omnia vestimenta inducebatur, de qua Maro: Tyriog, ardebat murice læna: Id vocabulū à Græcis dubio procul mutuo sumptum, qui genus id indumenti *χλαίνας*, dicunt.

## VERSICOLORIS. CAP. XXXVI.

Et lascivia  
est, ideoq,  
faminis  
prohibita.

VERSICOLORIS vestis adolescentiæ hieroglyphicum est. Eaque de causa veteres Comici adolescentis personam versicolori veste indutam, in scenam inducebant ut scilicet ingenii volubilitatem

A sitatem, cupiditatumque varietatem, in ea ætate præcipuam commonstrarent. In Jossippo vero puero per versicolorem vestem doctrinarum & virtutum copiam, quæ jam ex ejus indole concipiebatur, intelligit Adamantius. Quod vero lex nostra præcipit, vestem ex duobus textis non induendam, eo respicit, quod minime debeas Christum adorare simul & dæmonas: id enim est abominabile vestimentum. Non vult enim hominem semel Deo dicatum, diabolicis sese immiscere negotiis, neque simul orationibus incantationibusque vacare, & hujusmodi alia, quæ in spiritus contumeliam quotidie fiunt. Neque vetat hoc lex in textis tantum, verum etiam diverſi generis animalia commisceri prohibet, circumcissionem quippe, atque baptismum, ut ait Hesychius, non esse commiscendos.

## LINTEA. CAP. XXXVII.

L Intea vestis alba supra ceteras vestes induta, puellaris ætatis indicium fuit, quod eo genere amiculi apud veteres puellæ ante duodecimum annum utebantur. Hinc illud apud Afranium citatur: *Puella non sum, supparo si induta sum.* Vult vero Nonius supparum linteum esse femorale, usque ad talos pendens, dictum quod subtus appareat. Sunt etiam puellares vestes ex Varronis jussu, chlamydes, encobomata, ac parnaces, quas jubet ut puellæ habeant, potius quam togas. Utcumque, longa vestis omnino fœminea est, aut citharædica, de qua Maro:

*Nec non Threïcius longa cum veste sacerdos  
Obloquitur numeris septem discrimina vocum.*

*Supparum  
Nonii.*

*Æneid. l. 6*

Ita Propertius libro II.

*Pythius in longa carmina veste sonat.*

## FIDES LUBRICA. CAP. XXXVIII.

N Onianum vero supparum adducit in memoriam mihi linteum alterum, quo mulieres hodie passim utuntur domi. Id infra thoracem accingitur, & ad pedes usque propendet, anterioreſque tantum partes velat, vulgo non improprie gremialia vocantur. Habet hoc vestimentum genus hieroglyphicum suum. Nam proverbium est. *Nec mulieri, nec gremio credi oportere.* quod & illa incerti & levis animi sit, & in gremio posita plerumque cum in oblivionem venerit, illis temere, surgentibus, precipidunt.

*Ad Serbum  
ab Erasmo.  
Chil. 4. cen-  
tur. 4. pro-  
verb. 89.*

## FIDES LUBRICA. CAP. XXXIX.

S Innum hunc Latini mihi videntur appellasse, quamvis ejus locutionis late patet usus, præsertimque ubi potestatem aut quid fidei creditum significat, ut altero & vigesimo Pandect. lib. Tit. 3. Scævola: *Titio C. do, lego, que mihi pertulit que ideo ei non cavi, quod omnes fortunas, & substantiam, si quam a matre suscepit, in sinu meo habui, sine ulla cautione.*

*Scævola l. 1.  
Pandect. 21.  
Titulo, de  
probationi-  
bus.*

## PRÆTEXTA. CAP. XL.

P Rætextam nonnulli putant togam fuisse, quæ ad talos usque produceretur, dictam quod in ea purpura prætexeretur. Per eam honorem intelligebant, qui esset cupiam habitus: honestorum enim prætexta erat, ait Pædianus, toga viliorum. Alii nomine hoc purpuream quamdam fasciam valde latam intelligunt, quæ tamen multipliciter plicata in angustum contraheretur, atque ita supra alia vestimenta nunc ab humeris, nunc à pectore in fasciæ modum circumduceretur, nunc ejus capita utrimque ab humeris in pectus demitterentur: cujus generis amicula Romæ plerisque antiquorum statuis inducuntur conspicias. Et in Veneta nobilitate qui togati incedunt, eo omnes amiculi genere utuntur, eo excepto, quod purpurea apud eos in usu non est, sed ex nigra panno plurimum. Purpura enim non nisi magistratibus conceditur, hisque insignioribus. Nuptialibus quoque, & cum primi honores, quos procuratorios vocant, alicui differantur (sunt vero hi sacrarum largitionum præfecti) tunc consanguineis & cognatis & affinibus licet per aliquot dies uti purpura in lætitiæ gratulationisque significatu. Sed admonet me color purpuræ, ut quid in Divinis literis manus coccino præligato sibi velit, exponam: Zaræ manus in quâ Judæ filii, quæ se de matris utero porrexit: nulli enim dubium esse id hieroglyphicum, per quod Theologi, ut apud Irenæum est, Judaicum populum simplicibus legis operibus & circumcissionis sanguine insignem, qui prius apparuerit, seque mox retraxerit, loco alteri fratri, qui

*Apud Ven-  
tos præ-  
texta in u-  
sa.*

Idem Ma-  
crob. lib. 1.  
Sat. cap. 6.  
Prætexta  
Nonii, &  
prætextata  
fabula.

qui & ipse in utero matris erat, dato interpretantur, & per Phæa Christianos, qui secundo loco cogniti hæreditatis primigeniæ messem abstulerint. Sed ut Romam repetam, antiquissimum apud Romanos quoque fuit, ut magistratus prætexta uterentur. Nonius quoque ait, prætextam insigne Romanum esse, quod supra tunicas honorati quique fumerent. Et prætextatæ fabulæ dicebantur, ut apud Festum legas, quæ res gestas Romanorum continebant, in quibus scilicet Imperatorum negotia agebantur, Regesque Romani vel Duces inducebantur.

## PALMATA, ET TOGA PICTA. CAP. XLI.

Jovis quoque imago tota prætexta insignis dedicabatur, cui & palmatam tunicam, & togam pictam adjiciebant: quo habitu triumphales etiam viri conspici incedebant, ut apud Livium legere est lib. 10. Et apud Juvenalem triumphantem vides in tunica Jovis superbire.

## PUDOR. CAP. XLII.

Etas præ-  
textata.  
Macrob.  
ibidem.

Quantum vero pertinet ad pueros, præcipuum prætextæ significatum fuit, ut pudorem indicaret, quem scilicet ætas ea, quæ Prætextata dicebatur, sibi proponere deberet, ejusque rei indicium esse purpureum colorem, unde admonerentur verecundiam in dictis factisque omnibus amandam. Quod si nuptialibus, de quibus apud Catullum, ad aliqua petulantius dicenda adhiberentur, quod id facere liceret prætextæ jure minime violato, eam in id tempus abjiciebant. Hinc pro lascivo sermone atque licentioso, alii qui prætextatum dixere, Sunt vero hæc quæ tangit Seneca, Medea:

*Festa dicax fundat convivia Fesceninus.*

Ita Catullus:

*Nec diu taceat procax Fescenina locutio.*

Ea vero qualis sit, ad multos qui subsequuntur, versus explicatur.

## MANIPULARIS. CAP. XLIII.

Suetonius  
in Augusto  
c. 25.  
Ordo ma-  
nipularis.  
Manipulus.

Caliga quoque suum habuit hieroglyphicum, ut scilicet ejus ordinis militem indicaret, qui manipularibus præfectus esset: eo enim calciamenti genere utebantur. Subjecti hi Centurionibus, & Caligati dicebantur, unde apud Tranquillum legas de Augusti facilitate, qui vallares muralesque coronas sæpe etiam Caligatis tribuerit. Inter hos infimæ notæ milites, quia & enutritus, & affidue versatus erat C. Cæsar, qui Tiberio successit in Imperio, ab eo calciamenti genere Caligula vocitatus est. Qui vero esset manipularis ordo, & quo militum numero constaret, quoque signum turma hujusmodi cognosceretur, minime dissimulandum. Apud Livium enim numerus xxx. militum sub manipulo cogebatur, uno quippe vexillo. Manipulus vero præcipue dicitur fasciculus alicujus rei, quia manu capitur. Romulum quippe ajunt manipulos fœni pro vexillis habuisse, quod repente tumultu excitatus, id signi genus prætulit, reque bene gesta, boni inde ominis causa manipulos instituisse.

## PENULA. CAP. XLIV.

Imperii o-  
men penula  
omissa.

Penula militaris vestis, quam cælo pluvio gestare consueverant, quam Horatius solstitio nihil prodesse dicit, Tribunitiæ potestatis insigne fuit. Hadriano autem Tribuno factio, Imperii omen fuisse penulas amissas, quas Tribuni gestare soliti pluvie tempore, Imperatores vero nunquam, ait Spartianus. Potestas vero Tribunitia, quia sacrosancta erat ab Imperatoribus usurpari solita, ut quæ maxima esset pars Regalis imperii, ut apud Vopiscum est.

## ZONA. CAP. XLV.

Sed & Ma-  
gistri ex  
Authenticis  
Justiniani  
Imper.  
Pontifex  
zona præ-  
textata.

Virginitatem per zonam significare tam Græcorum & Latinorum est, quam etiam Hebræorum. Træzeniorum autem virgines zonam Palladi Apaturiæ ante nuptias dedebant, sicuti crines Hippolyto, cui Diomees templam excitarat quod Aurigam in cælo positum Hippolytum crederent. Author Pausanias. Sed nos ad zonam. Denique plerisque locis Divinæ literæ zonam pro fortitudinis hieroglyphico ponunt, eaque Pontificem sacra facturum præcingi jubent. Sed quod variari cum opere plumatili præcipitur, non recte nonnulli pro Plumatili Topiario substituendum putant: multa enim hujus antiquitatis vestigia extant, ab extremis præcipue novi orbis nuper inventis partibus allata, ubi tam indumenta, quam gestamina, scuta etiamnum, & diversi generis vasa pieraque omnia, prætextata.

A pfitacorū, & phœnicopterum, & aliarum pictarum avium plumulis intextuntur, opere tam venuste variato, ut nihil delectabilius possit oculis offerri. Nam quod superius dicebamus, hanc pro fortitudine poni, cinctus ipse apud Romanos frenuum significat, uti discinctus imbellem, & ignavum, ac nihili hominem notat. Tertulliano zona torquentum est. Hilario, efficax in omne opus bonum apparatus, ut ad omne ministerium Christi voluntatis cingulo simus accincti.

VINCULA JUGALIA. CAP. XLVI.

Iugalia vero vincula quæ sint, apud Poetas omnes vulgata sunt, Nova sane nupta cingulo præcincta nubentibus in lecto solvebat. Unde Homerus, λῦσαι ἢ παρθέλω ζώνω. E apud Ovidium:

*Castaque fallaci & zona recincta manu.*

Eoque spectat Catullianum illud,

*Qui zonam solvit diu ligatam,*

*Solvete virginalem zonam.*

B Indicabat vero hieroglyphicum hoc, ut sicut illa in glomos sublata conjuncta inter se est, sic vir suis secum cinctus junctusque esset. Cingulumque hoc Herculeo nodo vinctum, vir omnis gratia solvebat, ut sic & ipse in liberis suscipiendis felix esset, quemadmodum Hercules fuit, qui liberos septuaginta reliquisse fertur.

PUERPERIUM. CAP. XLVII.

Quin etiam zonæ solutio puerperii fuit hieroglyphicum: olim siquidem *Solvere zonam* dicebantur, quæ primo pariebant, eaque de causa levatæ partu mulieres, zonam Dianæ dicabant. Unde sanum Solvizonæ Dianæ Athenis fuit, de quo apud Apollonium Argonauticis.

TEMPERANTIA. CAP. XLVIII.

Habent & Divinæ literæ hieroglyphicum quod per zonam cingulumve significant, præcipue vero temperantiam & moderationem, qua fluxæ animorum cupiditates coercerentur, luxuriantia compefcuntur, & modus denique imponitur rebus, ut quinto supra quadragesimum Psalmo legas, *Regis filiam in cingulis aureis conspiciam*, quod alii in fimbriis transtulere. Apostolus tamen præcincti circa lumbos zonis aureis dixit, quod pro cordis munditia nonnulli interpretantur, alii vestem auro contextam simpliciter accepere. Verum Euthymius zonam agnoscit, & pro temperantia atque modestia, quæ concupiscibilem animæ partem coercet, interpretatur: non hoc diciturus, si vestem simpliciter agnovisset, Quamquam & fimbriarum non respuit ornatum, & virtutum inde multiplicitem non averfatur.

*Zona in Divinis significatio.*

*In Apocal.*

DE PERA. CAP. XLIX.

Posita zona, visum est κατὰ πῆξενον & Peram apponere: nam & zona ipsa sæpe pera est: ut apud Horatium:

*Ibi eò quò vis qui zonam perdidit.*

*Horat. in epistola.*

Hæc tam apud Græcos quam apud Hebræos hieroglyphicum habet id, quod pro cura & sollicitudine vicus accipitur, unde Theologi transferunt ad impedimenta humanæ vitæ, quæ animum alioqui paratum ad disciplinas inturbant. Græci super hoc dicunt, *Diogenes cui pera penus*, cui scilicet minima harum rerum cura. Evangelium quoque, *Nam peram in via*, cum nec quidem sollicitos, esse de crassino imperaverit Dominus. Eodem facit & sacculus, quem habere non licet, hoc est, in hac peregrinatione minime thesaurizandum esse. Quod ibi apertius: *Facite vobis sacculos qui non veterescent*, scilicet sollicitum.

*Hinc vnteg- τῶν πῆξενον*

*egv Pegg- vuv, ultra*

*peram sac-*

*peræ & esse*

*sollicitum.*

*Lucianus in Timone.*

HIEREMIÆ CINGULUM. CAP. L.

Ejusmodi est & cinguli significatum, quod ex lino factum, eoque cingere se iussus est Hieremias. Quod quidem ut manifestius intelligatur, exigit locus, ut de lino quædam altius repetamus. Lini & balastris enim ex terra nascitur, satumque prius in gramin pullulat, mox ut flore lascivierit, vel lino, aqua immerfum maceratur, exficcatum mox trahitur, & quoquo versum perdomatur, inde

*Linus & balastris*

*minis comparatio.*

peccatur,

peccatur atque netur, neque tamen prius, quam ferventi mordacique subinde lixivio perpurgatum sit, effectumque candidum, textur, ut vestes inde consuantur, quas indui ante faciem Domini preces allegemus. Hæc omnia nobis diligenter inspicienda sunt, hujusmodi; segetis herbæve cura ante oculos proponenda: quippe quæ probatoris, castigatioisque vitæ scenam quandam pingere videatur. Siquidem nos è terra geniti, luxuriare ineptis statim incipimus, magistra igitur disciplina avellendi à terra sumus, & lachrymarum aqua macerandi, ad sacerdotalem Solem mox exponendi, laboribus inde & perperam factorum poenitentia domandi, inde per omnes conscientia: scrupulos quam diligentissime peccandi, ut ita sordes excutiantur omnes, nihilque relinquatur, quod in filo vitæ producendo possit officere: quod quidem filum longa bonorum operum continuatione nendum est, mordacique subinde lixivio dealbandum, ut eluto ita tetro illo colore, quem à terrena contraxeramus origine, candidissimum nobis amiculum puta cingulum contexamus: quod tamen ad Euphratem minime defodiamus, ne ibi computrescat, inutilique reddatur, hoc est, Assyriorum & Babyloniorum moribus corrumpamur, sed eo & integro & nitido custodito, clericos, qui vere sint per sortem electi, profiteamur. Atque hæc est super sacerdotum amictu ratio nulla non hora repetenda. In univèrsam autem linteas vestes sacerdotibus attributas habilitatem significare veteres plerique Theologi dixerunt. Inde linteæ tunica justitiam, femoralia idemtidem linteæ castitatem ostendunt: nempe id innuentes, quod veluti linum res est admodum parabilis, ita virtutes, modo eas appetuerimus, minimo negotio comparantur.

## PURITAS. CAP. LI.

**H**erodotus, ut Gentes quoque nobiscum in puritate vitæ sentire commonstremus, nescit ait apud Ægyptios laneas vestes in ædes sacras inferre, proindeque linteis usos, de quibus ita Matialis:

*Linigeri fugiunt calui, sistinaque turba,  
Inter adorantes cum stetit Hermogenes.*

Unde apud Tertullianum de Christo, cum linteo circumstringitur, propria Osiridis veste. At Plutarchus libro de Iside & Osiride, cur eorum sacerdotes linteis tantum vestibus uterentur, unicam eam esse causam existimat, quod immortalibus diis omnia pura mundaque conveniant: non enim esse fas, Platone teste, pura deorum numina impuris & contaminatis rebus coli: quare cum linum iis quas superius recitavimus causis maxime purum fiat sitque ad eluendum expeditissimum, sacrificiis Deum cultoribus ante omnia congruere censuerunt. De nigris vero vestibus, quas tunc induerent cum Deos precibus placare instituisent, superius dictum est.

*Sacerdotum vestes  
cur linteæ.*

## FATUM. CAP. LII.

**A**ddemus & illud, receptissimum apud Poetas esse Lina pro Fato ponere, quod nescio quid sapit hieroglyphicum. Nam ut Parcarum stamina prætereamus, quæque super his alibi dicenda sunt, cur linum pro fato Poetæ ponant, causam afferunt interpretes Theocriti: quia scilicet terræ factus est linum, quemadmodum etiam mortales: idque abruptum, significat, hominem rursus ad terram redire.

## CASTIMONIA. CAP. LIII.

**S**ed ut ad vitæ redeamus integritatem, moresque castos, nihil aliud sibi divina nostrorum monumenta volunt, dum sacerdotalia memorant indumenta, quibus Campestre adnumerant quodam. Femoralia dixerunt, nisi ut hinc castitatem etiam nos asumere commonerent: indumentum quippe quo pudenda cooperiamus, & renes etiam constringamus: eo enim sacerdos præcingi jubetur, in holocausti faciendi lege, hoc est, ut Cyrillus interpretatur, fluxæ libidinis luxuriam castitatis cingulo coercere. Sacerdos enim qui sacris assistit altaribus, id præcipue curare debet, ut castus & intaminatus operetur.

## PROFECTUS ORATIONIS. CAP. LIV.

**T**amet si Origenes sublimiore quadam contemplatione raptus, cum octo ponantur Exodo sacerdotis indumenta, cur Levitico septem tantum recenseantur, inquit, hoc scilicet Campestri

A Stri posthabito, eoq; rem deducit, ut veluti de Mercurio nationes reliquæ veteres intelligebant, per Genitales nos quoque Sermonem accipiamus, qui quidem tunc exerceri debet, cum spes profectus aliqua visa fuerit affulgere, sceturamq; minime irritam futuram. Cum vero nos nulla profectus spes invitavit, sed a versas a bono aures, a versa hominum ingenia prospexerimus, Campestria subliganda, orationis quippe nihil quicquam profutura frænum imponendum. Sunt vero Campestria, perizomata, ut Eucherius, quibus juvenes qui nudi exercebantur, in campo, uti consueverunt, pudendis cooperiendis. Jam & illud continentie significatum est maxime proprium, & admodum hieroglyphicum nisi oculos verecundiorum offenderet, quo pudendum fibula cohibitum ostentatur. Utatissimum autem apud veteres fibulam apponere, præcipue his, quos ad Musicam educarent, ne scilicet Veneri operam dantes raucedinem contraherent. Unde & fibulare, & ejus contrarium, refibulare, verba.

Campestria  
quid.  
Hujus rei  
rationem  
reddidit Cor.  
Celsus l. 7.

## RERUM PROGRESSUS PER CALCEUM.

## CAP. IV.

B Sed neque calceus est inter indumenta contemnendus, qui progressionis indicium est: pro viatoribus enim excogitata sunt calceamenta, proque expeditionum auspiciis in Divinis literis calceamentum ponitur. Inde Psalmo lx. dictum voluit: *In Idumæam extendam calceamentum meum.* hoc est, in Idumæam progressus, eam mihi subiciam. Sane veteres Theologi, ut Eucherius tradit, veluti per pedes humanitatem Christi significari dicunt, ita eum advenisse, & corpus nostrum induisse, per calceamentum ita porrectum interpretantur, & quod positum est, in Idumæam, in plerumque gentium hanc manifestatum iri pollicentur. Quod quidem dictum, Jane mi, Ægidius noster cum tempora, quibus hæc futura sint, dinumerasset, rem multis divinatorum vatum oraculis comprobavit. Reliquum est, ut quæ futura ille magnus omnino vir prædixit, nos assiduis precibus, ab Optimo Maximo fatorum Rege deprecamur, ut tu argumentum habeas ingenio tuo dignum, quod scriptis illustrare aggrediaris.

Calceus in  
Divinis  
quid.  
Et pro de-  
missione  
conditionis  
ex testimo-  
nio D. Jo.  
Baptista.

JOANNIS PIERII VALERIANI  
HIEROGLYPHICORUM  
LIBER XXI.

DE HIS QUÆ PER BULLAM, ANULUM,  
INSIGNIORES ALIQUOT GEMMAS, ET  
gestamina quædam significantur,

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD ORNATISS. PATRITIUM VENETUM JO. CORNELIUM FANTINI CLARISSIMI F.

C Um primum intellexi, Magnificentissime Joannes, te præstantissimi viri Aloisii Cornelii generum effectum, clarissima quippe Clara ejus Filia in uxorem accepta, statim Venetias ad volavi, de tam felici matrimonio tibi comm gratulaturus. Inveni vero domum totam exultantem gaudio, & auspiciatissimis nuptiis bona commodaque omnia ominantem, te vero cum insitoribus agere de multo-bri mundo, de bulla aliqua pereleganti, aureoque torque, & anulo pronubo, in quo non splendorem tantum, sed & pulcherrimum aliquod signum, quod antiquitatem saperet, quaritabas: ideoque adventu meo lacatus, super bis multa interrogare capisti, quod circa rerum hujusmodi cognitionem me diu versatum noras, de quibus cum multa dicta fuissent, longeque plurima dicenda essent, rogasti me, ut per otium ea scripta tibi traderem, ut hæc quietius examinares. Bullam autem præcipue petebas, anulumq;